



## The Holy See

---

PIUS PP. X EPISTOLA **GRATE ACCEPIMUS\*** AD R. P. D. EDUARDUM PULCIANO, ARCHIEPISCOPUM  
IANUENSEM,  
DE NUPER HABITA SYNODO DIOCESANA Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Grate  
accepimus communes litteras, quibus tu et bene multi de Clero tuo paucis ante diebus, quum Synodus dioecesanam  
auspicaremini, vestrum in Nos obsequium studiumque declarasti: eo magis quod inde intelleximus, vos, hac formidolosa  
conditione temporum graviter, uti par est, commotos, idcirco maxime in unum convenisse, ut quae ad religionem istius  
populi defendendam, quaeque ad *depositum Fidei* inviolate custodiendum pertinerent, collatis inter vos consiliis  
statueretis. Optime autem in causa tanta caelestes apud Deum patronos adhibetis Carolum Borromaeum et Catharinam  
Fliscam, appetente iam ipsorum memoria saeculari. Aderit certe vobis Episcopus sanctissimus, cuius quidem pastoralis  
sollertia ac diligentia cum in omni genere, tum praecipue in tuenda integritate doctrinae catholicae fuit miraculo: nec vero  
vobis praesidium deerit foeminae incomparabilis, quae, cum insigne Liguriae decus exstiterit, profecto studere debet, ut  
populares sui laudem christiana professionis incorruptam retineant. Nos cum pietati vestrae paterna caritate  
respondemus, tum salutaribus vestris consiliis atque coeptis propitium Deum apprecamur. Cuius munerum auspicem tibi,  
Venerabilis Frater, et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem amantissime impertimus. *Datum Romae apud S.*

*Petrum, die XI Decembris MCMIX, Pontificatus Nostri anno septimo. PIUS PP. X*

\*AAS, vol. II (1910), p. 6.